



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Angeli neque gratia Mysteria

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

eventus, atque eos præsertim, quorum effectio ab libera hominum voluntate dependet, ab Astrologis & Chaldeis certissime prænunciari, cujusmodi sunt mores nascentium hominum, & indoles, instituta vitæ, adversi aut prosperi eventus, subiti & improvise casus, vulnera, mortes denique per vim aliorum & scelus illata. Hujusmodi divinandorum præcepta qui tradebant, & nanc veluti artem profitebantur, *Astrologi ac Genethliaci* solebant nuncupari. Cujus tamen artis vanitatem non Christiani solum, sed ipsi etiam Ethnici jam pridem ostenderunt risu & sibilis excipiendam. Sortes nostræ in manibus Dei sunt: nec fato agimur, sed Numinis regimur providentia; & quisque libera sua voluntate & electione se bonum aut malum esse intimè experitur.

IO. *Similiter Angelorum vim cognoscendi naturalem excedunt Mystera gratiæ, cujusmodi sunt*
 Ne- que My- steria gra- tiæ. *Mysterium Trinitatis, Incarnationis, aliaque naturæ ordine superiora: vis enim cognoscitiva naturalis ad ea duntaxat porrigitur, quæ in eodem naturæ ordine continentur. Neque hic mens Angelica præ humana quidquam prærogativæ habet. Unde Apostolus ad Eph. 3. c. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat Principatibus & Potestatibus, in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Quippe nihil est in rerum natura & naturali ordine, quocum Mystera hujusmodi connexa sint; ideoque nec datur naturaliter, quod mentem Angelicam ad certam illorum cognitionem valeat determinare.*

II. *Angelorum locutio definiri potest, quòd sit intelligentis naturæ cogitatio ad notitiam alterius certo indicio perducta. Loqui autem Angelos Deo, hominibus, & inter se, ex S. Scriptura certum*

tum

tum est. Ita Zach. I. v. 12. Respondit Angelus ^{lo-}
 Domini, & dixit: Domine exercituum, usquequo ^{rum.}
 non misereberis Jerusalem. Et Luc I. Ingressus
 Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena. Item
 Apoc. 7. Exclamavit Angelus voce magnâ quatuor
 Angelis dicens: Nolite nocere terræ & mari.
 Hinc Apostolus I. ad Cor. 13 Si linguis hominum,
 inquit, & Angelorum loquar, charitatem autem
 non habeam, factus sum velut æs sonans. In
 quem locum ita scribit S. CHRYSOSTOMUS: Linguam
 Angelorum hîc appellat, non corpus Angelis at-
 tribuens; sed ejusmodi est, quod ait: Quamvis ita
 loquar, ut Angeli inter se colloquuntur. THEODO-
 RETUS in eundem locum: Angelorum, inquit,
 linguas dicit, non quæ sensu, sed quæ intelligen-
 tiâ percipiuntur: per quas & universorum Deum
 laudant, & inter se differunt. Qua vero ratio-
 ne Deo loquantur, facilè intelligitur, videlicet eo
 ferè modo, quo nos Deo intus saepe loquimur,
 mentis nostræ actus, vota ac desideria ad Deum or-
 dinando. Hominibus loqui possunt aut voces for-
 mando in aère, aut signa alia usurpando, aut etiam
 certas impressiones excitando in cerebro, unde cer-
 tæ cogitationes in anima oriuntur. Angelorum ve-
 rò inter se collocutio quamvis etiam per signa hu-
 jusmodi externa fieri possit: quid enim obstat? ut-
 plurimum tamen interior est. In experte materia,
 & intelligibili natura (inquit S. GREGORIUS Nyss.
 L. 12 contra Eunom.) mentis actio sermo est ne-
 quaquam materiali utens organorum ministerio.
 Etenim in humana natura nihil opus haberemus
 verborum ac nominum usu, si nudos animi motus
 mutuo demonstrare possemus. Nunc cum interio-

res mentis nostræ notiones, pro eo quòd carnis involucro natura nostra circumscribitur, palam fieri nequeant; necessariò facimus, ut certas nominum impositiones, tamquam signa, rebus adfingentes, illarum ope mentis nostræ motus invicem vulgemus. Atque hunc intimum & spiritua- lem sermonem Angelorum ex nobis ipsis utcumque intelligere datur: est enim duplex in nobis sermo, alter *externus*, qui organis corporeis perficitur; *internus* alter, qui est interior mentis nostræ cogitatio, & *verbum mentis* adpellatur. *Quædam cogitationes locutiones sunt cordis*, inquit S. AUGUSTINUS L. 15. de *Trin.* c. 10. Qui tamen sermo interior, non alterius ad alterum, sed quædam secum ipso locutio est, præter quam in Angelis aliquid esse oportet, quo arcanam illam atque intimam locutionem exprimant. Id quod voluntatis directione peragi videtur, ut adeo Angelorum locutio nihil aliud sit, quàm destinatio, vel directio cogitationis ad alium voluntate facta. Istud verò quemadmodum fiat: an Angeli ab ortu suo omnes species inditas acceperint, an novas adquirant, Deo nimirum vel excitante, vel producente speciem cogitationis in Angelo audiente, quam Angelus loquens illi manifestare cupit? definiri nequit. Cùm Angeli in Scripturis leguntur clamare, intellige vel eos loqui de re prorsus eximia, veluti dum *Isa. 6.* clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; vel significari magnitudinem desiderii, quo cogitationes suas manifestant. Patet ex dictis, Angelum ita uni posse loqui, ut cæteri præsentis non audiant, quando sc. cogitationes suas promit, ut uni duntaxat cognitæ esse velit.

2) An-

γ) Angeli mali mentiri non possunt locutione proprie Angelica & mentali, (ista enim sita est in manifestatione sui conceptus, igitur talis, qualis re ipsa est;) sed tantum per signa sive materialia, sive nobis insensibilia. Sic daemones mentiuntur formando sonos in aëre, vel organis energumenorum utendo. Hi ipsi quamvis circa objecta naturalia actu existentia (exceptis arcanis cordium) fallere, & errare nequeant, cum illa videant, ut sunt in se; errori tamen obnoxii sunt in iis, quæ obscurè duntaxat cognoscunt.

Angeli se possunt movere localiter: Sunt enim in loco (nam sunt alicubi, & boni quidem in cœlo, mali in inferno) non quidem *immensè*, hæc enim folius Dei proprietas est; nec etiam *circumscriptivè*, uti corpora, quorum singulæ partes singulis spatii, in quo existunt, partibus respondent; sed *definitivè*, quia utpote incorporei & indivisibiles existunt in toto spatio toti, & toti in qualibet parte spatii; igitur de loco in locum transferri possunt. Hinc Angeli in Scriptura dicuntur ascendere, & descendere. Sic Dan. 3. v. 49. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem.* Sic 3. Reg. c. 19. v. 7. *Reversusque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque ei: surge, comede.* Sic Gen. 28. v. 12. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Hic autem motus Angelorum localis quamvis celerrimus sit; non tamen instantaneus est, quia spatium, in quo moventur, divisibile est; ideoque pars *a* spatii priùs relinqui debet, quam pars *b.* ejusdem spatii occupetur; & aliunde certum est, potentiam locomotivam Angelorum finitam esse. Utrum Angelus movere Angelum localiter possit? non ita li-

12.
Ange-
lo-
rum
po-
tentia
loco
moti.
va.